



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. Examinatur contrarietas vitii cum virtutibus infusis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

ARTICULUS I.

An vitium contrarietur virtuti?

SUMMARI.

1. Datur propriè dicta contrarietas inter vitium & virtutem acquisitam.
2. Quomodo virtus in medio?
3. Bonum & malum opponuntur & privativè & contrariè.
4. Quomodo unum uni contrarietur?
5. Triplex opinio de contrarietate vitii cum virtute.
6. Vitium virtuti infusa non directè,
7. Sed indirectè opponitur.
8. Diversa motiva non semper tollunt contrarietatem.
9. Quandonem habitus contrarii possint in gradibus intensis simul consistere.

§. I.

Contrarietas vitii cum virtute acquisita.

1. **CONCLUSIO.** Vitium opponitur virtuti contrarietate propriè dicta S. D. q. 71. a. 1.

Ratio est: Contraria propriè sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, seque ab eodem subjecto mutuo expellunt: sed virtus & vitium in genere moris & qualitatis maximè distant, nam virtus secundum Philosophum in 7. phys. est dispositio perfecti ad optimum, vitium autem juxta D. Aug. L. de perf. just. c. 2. est qualitas secundum quam malus est animus. Insuper sese mutuo ab eodem subjecto expellunt: neque simul consistere possunt in gradibus intensis: neque enim simul aliquis est temperans, & intemperans, sed vel per actus frequentatos fit ex intemperanti temperans, vel per actus oppositos fit ex temperanti intemperans. Ergo vitium & virtus propriè contrariantur.

Dixi tamen in genere moris vitium & virtutem maximè distare: quia licet duo vitia extrema, v. g. prodigalitas & avaritia à se invicem magis distent, quàm à virtute liberalitatis in genere physico, non tamen in genere moris, & sub consideratione honesti, vel inhonesti; sic enim utrumque vitium continetur sub genere inhonesti, dum e contra virtus liberalitatis pertinet ad lineam honesti.

2. Dices primò. Virtus etiam in genere moris spectata consistit in medio: sed extrema à se invicem magis distant, quàm à medio: ergo vitia etiam in genere moris à se magis distant, quàm à virtute.

Respond. Virtus in genere moris spectata consistit in medio, connotativè [hoc est, in quantum ex parte objecti & materiæ, circa quam versantur, connotat medium inter excessum & defectum] concedo; subjectivè & formaliter [quasi ipsa in se foret media inter utrumque vitium] nego: sic quippe utrumque vitium extremum constituit unam adequatam inhonestatem, virtutis adæquate honestati oppositam.

3. Dices secundò. Inter bonum & malum non est oppositio contraria, sed privativa, siquidem malum formaliter dicit absentiam bonitatis debiti: atqui vitium & virtus sibi opponuntur ceu

bonum & malum: ergo inter illa non est oppositio contraria, sed privativa.

Respond. disting. major. Bonum & malum secundum abstractam rationem mali sibi privativè opponuntur, concedo; secundum concretam rationem mali, nego: ergo vitium & virtus privativè opponuntur, secundum abstractam rationem vitiositatis, concedo; secundum concretam, nego consequentiam. De quo mox plura.

Dices tertio. *Uni non nisi unum contrarietur*, inquit Philosophus 10. Metaph. tex. 17: atque virtuti opponuntur duo extrema vitia: ergo inter vitium & virtutem non est vera & propriè dicta contrarietas.

Resp. Unum uni contrarietur secundum eandem rationem concedo; secundum alias & diversas, si in se plures includat, nego. Cùm igitur virtutis adæquatum motivum plures inadæquatas includat, quarum una prohibet excessus, altera defectus, nihil obstat, quin duplici vitio contrariari possit.

§. II.

Examinatur contrarietas vitii cum virtutibus infusis.

Circa contrarietatem vitii cum virtute infusa triplex est Doctorum opinio. Prima negat dari ejusmodi contrarietatem, quam tenet S. Curiel, & Lorca in pf. disp. 2. Secunda docet oppositum, cui favent Zumel, & Alvarez, disp. 222. Tertia ex hypothesi, quod habitus infusus non tantum dent simpliciter, sed etiam faciliter posse, distinguit inter vitia producta per actus directè recedentes ab honestate & rectitudine virtutis supernaturalis, prout est odium DEI, & inter vitia producta per actus directè recedentes tantum à motivo & honestate virtutis naturalis. Prioris generis vitia, dicit, habitibus virtutum supernaturalium directè contrariari; sic enim certum est, odium DEI per actum charitatis formaliter expelli; posterioris generis vitia docet non opponi contrariè, saltem directè. Ita Montefinos hic q. 1. n. 16.

CONCLUSIO. Vitium, quantumvis non directè recedat à motivo & honestate virtutis infusæ, habet nihilominus cum ipsa contrarietatem (1.) non quidem directam (2.) sed indirectam. Ita Goussier hic tr. 3. disp. 15. §. 1.

Prior pars est expressa S. D. in 4. dist. 14. q. 2. a. 2. ad 4. dicentis. Dicendum, quod sicut in 3. L. dictum est, virtus infusa & acquisita non sunt ejusdem speciei: unde cum habitus ex frequentatione operum peccati generatus, virtus acquisita contrarietur sibi, non contrariatur directè virtuti infusæ, que habet oppositionem cum peccato ex parte illa, quæ est offensa DEI, unde non oportet, quod habitus virtutis infusæ restitutus, habitus vitiorum veliter tollantur, quamvis impediantur & diminuantur. Hæc S. D. Unde formatur duplex ratio. Contrarietas directæ non est nisi per ordinem ad unum idemque formale objectum; sed non est

num idemque objectum formale virtutis acquisita & infusa, siquidem specie distinguuntur; cum virtus acquisita habeat motivum honestatis ex lege & ratione naturali derivata, infusa vero motivum honestatis derivata ex lege supernaturali, & regulata per lumen fidei: ergo non potest vitium exercere directam contrarietatem adversus utramque virtutem. Contra quam igitur pugnat? Contra illam, a cuius motivo directè recedit, & hæc est virtus acquisita.

Secundò. Illi virtuti directè contrariatur vitium, cum cujus motivo directè pugnat actus vitii: habitus quippe sunt propter actus, & ab illis proximè specificantur: atqui actus vitii directè pugnat cum motivo virtutis acquisitæ, non infusæ: ergo non virtuti infusæ, sed acquisitæ directè contrariatur.

7. Altera pars æquè probatur auctoritate & ratione S. D. Inter illos habitus intercedit aliqua contrarietas indirecta; cum enim sint inter se incompossibiles, debet illa incompossibilitas reduci ad aliquod genus oppositionis; nec potest facile ad aliud reduci quam positivè contrarietatis, siquidem utrumque extremum est positivum.

Confirmatur primò. Virtus, quæ dimiuit habitum vitii, habet aliquam oppositionem contrariam cum illo: sed virtus infusa per suum actum tamen non omnino destruat, dimiuit tamen habitum vitii, & facit ut sit in statu corruptionis, ita affirmante Doctore Angelico q. 1. de Virt. in comm. a. 10. ad 16. *Dicendum, quòd licet per unum actum simplicem non corrumpatur habitus virtutis acquisita, tamen actus contritionis habet hoc, quòd corrumpat habitum vitii generatum ex virtute gratiæ, unde in eo, qui habet habitum intemperantiæ, cum conteritur, non remanet cum virtute temperantiæ infusa habitus intemperantiæ in ratione habitus, sed in via corruptionis, quasi dispositio quadam, dispositio autem non contrariatur habitui perfectò.*

Confirmatur secundò. Peccatum avertens hominem ab ultimo fine naturali, indirectè etiam avertit à fine ultimo supernaturali, & vice versà; quia ultimus finis naturalis, quantumvis diversè ordinis, est tamen subordinatus ultimo fini supernaturali, & efficax conversio in finem ultimum supernaturalem est incompossibilis cum aversione ab ultimo fine naturali: ergo pariter inclinatio in peccatum [h. e. vitium] indirectè contrariatur cum inclinatione in actum virtutis infusæ, qui est mediata vel immediata, formalis vel virtualis conversio in ultimum finem supernaturalem.

§ III.

Solvuntur Objectiones.

8. Objicies primò. Habitum inclinantes in actus oppositos tantum materialiter, sive circa objectum materiale, sub diversis tamen mediis aut

motivis formalibus, sibi invicem non contrariantur: sed vitium & virtus infusa inclinant tantum in actus oppositos, sub motivis formaliter diversis: ergo non contrariantur. Major probatur: Sic habitus erroneus circa physicam demonstrationem rotunditatis terræ, non contrariatur mathematicæ demonstrationi ejusdem: quia licet circa objectum materiale habeant oppositionem, procedunt tamen ex motivis formaliter diversis.

Respond. negando vel dist. Maj. si illa diversitas motivorum sit sufficiens tollere effectus privativè oppositos, concedo; si non sit sufficiens, sed illos potius causet, nego majorem: & sic distincta min. nego consequentiam. Unde ad probationem nego assumptum; nam intellectus per habitum erroneum redditur obscurus & incertus de terræ rotunditate, per scientiam verò mathematicam efficitur clarus & certus, quia effectus formaliter oppositi non tolluntur sed potius causantur per diversa motiva formalia: prout in simili loquuntur Thomistæ in 2. 2. cum probent habitus fidei supernaturalis, & scientiæ naturalis circa idem objectum materiale simul in intellectu componi non posse, quantumvis sint diversè ordinis & procedant ex diversis motivis.

Objicies secundò? Contraria sunt, quæ se mutuò expellunt ab eodem subiecto, ideoque in gradibus intensis non possunt simul consistere; atqui virtus infusa quantumvis in gradu valde intenso consistit in homine recenter justificato unà cum vicio per actus frequentatos generato & opposito honestati virtutis naturalis: ergo inter se non contrariantur.

Respond. distinguendo majorem. Quæ se mutuò expellunt &c. quando sunt in gradibus intensis tam quoad substantiam, quam quoad modum habitus, concedo; tantum quoad substantiam, nego maj. sed in homine recens justificato reperitur virtus infusa in gradu intenso quoad substantiam habitus, concedo; quoad modum habitus, hoc est, quoad rationem difficultatis mobilis, nego: sic & vitium reperitur quoad substantiam in gradu intenso, non autem quoad modum; jam enim, ut docebat Ang. D. cit. est in via corruptionis, est facilius mobile, ideoque habet modum dispositionis. Sed cur virtus infusa in recens justificato non habet modum habitus? Quia propter imbecillitatem subiecti facile amitti potest.

Inquis. Hæc ratione per unicum actum peccati, quo virtus infusa unà cum gratia sanctificante expellitur, vitium restitueretur tam quoad modum, quam quoad substantiam habitus, quod videretur absurdum. Respond. Restitueretur per se, quasi dando novum esse, nego sequelam; per accidens, removendo videlicet inclinationem supernaturalem, quæ frænabatur illa prava inclinatio, concedo, quod tamen nequaquam est absurdum.